

Q. K.  
431,  
25.

X 1860603

II c  
1422

C. B. D.

# Apotheosis Impe- ratorum Romanorum

descripta

DISSERTATIONE HISTORICA

Quam

P. P.

M. JOACHIMUS BÖGGE/

Brandenburgensis,


Et

LEVINUS CHRISTOPHORUS HAHN,

Eques Saxo,


Ad D. 20. Septembr. Anno 1662.

Loco consveto, Horis ante-  
merid.



WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.



Q. K. 431

4





1549.





C. B. D. si quis...



Ullam nationem tam barbaram esse, nullam gentem tam efferatam, cui non infideat hæc persuasio, DEUM esse, jam olim observavit Marcus Tullius, omnibus enim hoc innatum esse ait, & quasi insculptum, ut adeò nulla de hominibus gens sit, quæ non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat. Innuvit Disertissim9

Romuli nepotum, non hoc tantum, omnium cordibus Divinitatis sensum esse inscriptum, quod tacitâ confessione quâdam tot Populorum consensus, qui omnes perpetuum quoddam Religionis semen retinuerunt, dudum confirmavit; Sed & fontem πολυθεότης primum aperire videtur. Cum n. humanæ menti inditum quasi esset à supremo numine ac implantatum, habendum esse DEUM, quod & admirandæ ac pulcherrimæ totius universi fabricæ intuitu, innumerisq; aliis edoceri poterat argumentis; Ipsum verò totius universi Dominum, ὅς οὐκ ἔστιν ἀπρόσιτον, eadem non caperet omninò, h. e. qualem DEUM habere deceat, ignoraret, Veri DEI cultu sensim exuto, ductu etiam naturalis rationis impulsa & seducta, ipsamq; Divinitatem temerè sensu metiens, prout in has, illas véres creatas proclivior erat, harum, illarum vé venerationem amplexabatur. Inde tanta, tamq; varia Deorum multitudo, Inde tot numinum ludibria, ut nulla eloquii vis recensendis iis par esse possit.

Quicquid humus, pelagus, cælum, mirabile signant,  
Id dixere Deos, colles, freta, flumina, fontes. (Prudentius.)

Ex hisce, inquam, potissimum initiis, luxurians illa ac intricatissima, Deorum seges, per totum terrarum orbem enata est, Is, qui Ascra, Bæotia vico, suos debet natales, Poëta antiquissimus, jam tum suo tempore incredibilem ferè Deorum numerum hoc proposuit versiculo:

Τρεῖς γὰρ μύριοι εἰσιν Ἰπὶ χθονὶ πηλυβοτείρη.

M. Varro, industrius Deorum suorum consarcinator, cum XVI. libris Deorum suorum numerum & rationem describere molitur,



retur, fatigatus, in ipso labore substitit, trecentos tamen Joves numeravit, quàm multa a. exaraverit, pleraq; incerta esse concessit. Qui in gremio Ecclesiae educati, vero innititur Jehovah, non immeritò miramur, quò tot numina, totq; aniles de iisdem nugis credere potuerint gentiles? Ex multis unum alterumvé adferre liceat. Occurrunt præ reliquis Dii, quos marem foeminamq; juncturi, invocabant, Hymenæus, Thalassius, Jugatinus. Ita domum ducturi nuptam, Domiducum, utq; illa in domo esset, DEUM Domitium, ut cum viro maneret, Manturnam precabantur Deam. De Deâ Virginensi, Deo Patre Subigo, ac Deâ Matre Premâ, Deâ Partundâ, Priapo, Deâ Menâ, aliisq;, adesse jussis, ut pavidæ sponsæ sine ullâ difficultate Virginitas auferretur, pudor prohibet dicere. Infantium victui Victuam, Escæ Edinam, potui Potinam & Potuam, Cuninam cunis, Ruminam vel Rumiam mammis præesse nugabantur. Cubam ut rectè cubarent parvuli, ut viverent Vitumnum, ut sensuum omnium sortirentur usum Sentinum, ut starent Statilinum, ut fari auspiciarentur Ajum Locurium & Fabulinum adorabant. Sic ædium munditiæi Deverram, Limini Limentinam, caulium geniculis Nodinam assignabant. Ipsos quoq; (sed honorem præfabor) ventris Crepitûs, ut magis ridicula ac spurca foedis superstitiosorum fabulis indies accederent, pro numinibus habuerunt, quod emissi servandi hominis, suppressi, perdendi potestate gaudeant. Quos ideò Regi non dissimiles factè dixit nonnemo, ut qui vitæ ac necis habeant arbitrium. Hujus v. furfuris infinita, vide, si tanti videbuntur, apud *August.* l. 4. de C. D. c. 10. & l. 6. c. 9. & *Arnobium* l. 4. *adversus gentes*. Hoc tamen minimè prætereundum est, quod, qui Paganorum sobriè ac penitiùs naturæ arcana scrutati sunt, ii, quamvis multos quidem nominârint Deos, unum tamen Jovem crediderint, qui in æthere sit Jupiter, in aëre Juno, in mari Neptunus & Salacia, in terrâ Pluto & Proserpina &c. Scilicet omnia hæc ejusdem Dei nomina sunt, variè utentis suâ potestate, quæ *Senecæ* l. 4. de benef. c. 8. verba sunt. Quo refero, quod *Clariss.* observat *Seldenus*: (*de Dis Syris, proleg. c. 3. & Synt. 2. c. 2. p. m. 30. & 238.*) Communem unicuiq; DEO, utrumq; fuisse sexum. Illorum verò superstitio præcipuè incrementa sumsit, qui defunctos



functos Heroas, meritos benè, in Deorum retulerunt numerum, divinosq; honores ipsis decreverunt. In quorum censu, uti nomen suum sunt profesfi *Aegyptij*, longè ante alios ob ridiculam Deorum turbam infames, qui præ cæteris Isidem & Osiridem, quorum illa literas, hic varias artes eos docuisse creditur: *Mauri*, qui Jubam: Alii, qui pariter tali honore suos Reges prosecuti sunt; Ita non ultimo loco *Romani* veniunt, Romulo suo ac Cæsaribus Diis celeberrimi, quorum *ἀποθέωσιν*, annuente DEO vero, paucissimis explicabimus pagellis.

II. Utq; à primis *ἀποθέωσιν* incunabulis ordiamur, Iis, qui vel Conditores urbium, vel Illustrissimarum Familiarum Patres admodum insignes, extitissent, aut etiam alio nomine, aliisvè in publicam rem, vitamq; communem meritis Clarissimi abissent, antiquissimo ac vetustissimo more, summos ab excessu exhibuit honores posteritas, memoriam ac gloriam ipsorum superstite aliquo monumento, à squallidissimâ oblivionis nocte vindicatura. Hanc ob rem non modò statuas ac imagines illis consecravit, sparsis circa tumulum floribus, dicatisq; coronis, sed & anniversaria festa, nominibus ipsorû in sacros commentarios relatis, celebravit. Ausi progressu temporis Reverentiæ hujus ritûs, adjectis quæcunq; solemnitati consuetæ ornameto esse viderentur, quibus indies accumulatis, eonsq; sensim tanta in Majorum cineres progressa Pietas, ut tantum non pro Diis, Defunctos illos haberet, humanam naturam eximii illorum ac insignioribus gestis imparem omninò, atq; aded præcellentiore esse adscribendam, propenso animo arbitrata. Jamq; majores Humano genere jaçtitavit, quos demortuos primò crediderat, quosq; rerum gestarum magnitudine proximè ad Deos accedere sibi persuaserat, *Herois* nomine donato, unde & summi illi honores, quibus Defunctos hos dignabantur, *Ἡρώων τιμῶν* dici meruerunt. Est enim *Ἡρώς*, Si *Lucianus* audiendus, *ὅς μήτε ἀνθρώπος ἐστίν, μήτε θεός, καὶ συναμφοτέρον ἐστίν. h. e. qui neq; homo est, neq; Deus & simul utrumq; est.* Postea, sive adulatione, sive superstitione id factum, ipsa *θεοποίησις* successit, paulatimq; pro Diis habiti, quibus antea Heroici tantum Honores decreti fuerant, quum non appareret satis, quo pacto Heroës illi à Diis discreparent. Quâ de re apud





Alex. ab Alexandro lib. 6. Gen. Dier. c. 4. hæc leguntur: Fuit hæc consentiens observatio, præcipuè apud Lacones, ut eximios præclarosq; viros, qui obviam eundo periculis, Rempub. auxissent, ob egregia facinora civibus & Patriæ exhibita, ut gratiam meriti redderent, in Deorum sedes receptos consecrarent, & in cælum tollerent, illisq; divinos honores & humano fastigio ampliora decernerent: templaq; flamines, pulvinar & aras, ac sedes immortalitatis exhiberent.

III. Hanc primam esse ἀποθεώσεως originem, non modò Lactantius, sed & plures alii observarunt, prolixiusq; deducit Jctus ille Anglus, Job. Seldenus, in suis ad Syntagmata de Dîs Syris prolegomenis c. 3. p. m. 42. Hincq; tot phrasæ: Ἀποθεῶσαι, ἀνιερεῖν, ἀγιστεύειν, ἐναγίζειν, θεὸν ποιεῖν, Consecrare, in Deorum numerum referre, inter Deos referre, Deos facere, Deos dare, cælo dicare, Sideribus inferre, quodq; in Veteribus est glossis, Divinare, quæ, uti de Consecratoribus adhibita, ita de iis, qui hoc honore affecti, ἀνιερεῖσθε, ἀγιστεύεσθε, ἐναγίζεσθε, τυγχάνειν τιμῶν ἡρωικῶν, ἰσοθέων, ἰσολυμπίων, ἐκθειάζεσθε, ἀθαράτίζεσθε, θεοποιεῖσθε, Sacrari, Consecrari, aliaq; passim apud Autores invenies usurpata. Unde ultrò apparet, quid Consecrationis, quidvé ἀποθεώσεως nominibus indigitemus. Audiamus verò etiam Herodianum, qui l. 4. c. 2. initio ita: Ἐθῶ γὰρ ἔτι Ῥωμαίοις ἐκθειάζειν βασιλέων τὰς ἐπὶ Διόδωροις παισὶ τελευτήσαντας, τὴν τε τοιαύτην τελετὴν, ἀποθέωσιν καλεῖσι. Quod Angelus Politianus, ita reddidit: Mos est enim Romanis consecrare Imperatores, qui superstitionibus filiis vel successoribus moriuntur: quiq; eo sunt honore affecti, relati dicuntur inter divos. Hucq; faciunt, quæ Dempsterus à Muresk, Jctus Scotus, in Paral. ad l. 3. c. 18. Rosini habet: Apotheosin hanc solemnitatem vocare solemus, Juvenal. Sat. 6. v. 619. descendere jussit in cælum. Vet. Scholiast. ridens, pro ad inferos, & Apotheosin deridet, Deum fecit Imperatorem &c. & mox: Est autem idem Apotheosis ac consecratio &c. Et iterum: Est E. Apotheosis quasi Dei factio, aut Divinitatis collatio.

IV. Ac de aliorum Populorum consuetudine in sacris his, ut plura edisseramus, instituti nostri ratione vix fieri potest, ad Romanos itaq; (hæc enim necessariò prælibanda putavimus, ut ulterius progressuris, facilius, commodiusq; hoc iter tere-  
retur)



retur) jam reſtā ullis abſq; ambagibus deproperamus. Quem-  
 admodum autem illi, *poſtquam totius orbis perrepta veruut angu-  
 los, reliquorum populorum in Religione, quaſi Simia ſunt facti, quod  
 apud Job. Nic. Wernerum Corpusc. Phil. c. 1. §. 3. de ipsis legitur;*  
 ita & hīc ſtrenuè ad aliorum inſtituta ſe accommodārunt. Pri-  
 mum ſuum Regem, *Romulum*, ſive is Conditor ſeu Amplifica-  
 tor urbis jure audiat, Deorum in ordinem retuliſſe ipſos, plu-  
 rium Scriptorum unanimi teſtatur conſenſus. *Sive* id factum,  
 ut recenti Imperio veneratio quædam ac Amplitudo pararetur;  
 (quam ob cauſam *Cleo* apud *Curtium*, Perſas non ſolum piè, ſed  
 etiam prudenter Reges ſuos inter Deos colere ait, *Majeſtatem*  
 enim Imperii ſalutis eſſe tutelam.) *Sive* ut cædis effugerent  
 ſuſpicionem, *Romulum* enim victis *Fidenatibus* & *Vejentibus*  
 à *Primoribus* interfectum, diſcerptoq; in minutiffimas partes  
 corpore, occultè ſub veſtibus per partes aſportatum, non de-  
 ſunt, qui tradant, cujus tamen parricidii novos cives fuiſſe Au-  
 tores, *Val. Maximus l. 5. c. 3. Auguſt. l. 3. c. 15. Dionys. Halicarnaff.  
 l. 2. & Ariſtobulus, Italicarum rerum l. 2. memorant: quamvis  
 Livius l. 1. c. 16. Plutarchus in Romulo & Numâ Pompilio, Florusq;  
 & Ovidius l. 2. Faſt.* apud *Capreæ paludem*, quum ad exercitum  
 recensendum concionem haberet, ſubitò coörta tempeſtate,  
 cum magno fragore, tonitribusq; à *Marte Patre* denſiſſimo  
 ablatum nimbo velint; *sive* demum *Proculi* aſſeveratio eos  
 deceperit, qui ſollicita civitate deſiderio Regis in concionem  
 prodiſſe fertur, populoq; nunciâſſe, ſe vidiffi *Romulum* ha-  
 bitu humano Auguſtiorum, cælo repente delapſum, eumq;  
 mandâſſe ad populum, ut ſibi delubrum fieret, ſe *DEUM* eſſe &  
*Quirinum* vocari: quem tamen à *Patribus Parricidis* ſubor-  
 natum eſſe, non pauci ſuſpiciantur, unde & *Lactantius* ſcribit:  
*Proculum* hoc factò, & ipſi *Populo* perſuaſiſſe, *Romulum* ad  
*Deos* abiſſe, & *Senatum* ſuſpicionem cædis *Regiæ* liberâſſe.  
*Lib. 1. c. 15.*

V. Miramur autem non immeritò, quomodo hæc *Eutropium*  
 fugerint, qui *lib. 7.* ſcribit, *Auguſtum* primum omnium *DEUM*  
 appellatum; (*ἡγὼ πρῶτον ἀπάντων ἔλαβε τὴν τῶ θεῶ προσ-  
 ῳχίαν.*) An, quia tam multa de *Divinis Auguſti* honoribus  
 Scriptores diſſeruerunt, ortum hujus conſuetudinis, ad illum

reſta-





retulit? Quicquid sit non parum in eo hallucinatur, cum ex iis, quæ modò diximus, & innumeris ferè Autoribus abunde liqueat, ipsum Romulum, diu ante Augustum, Deum esse vocatum. Idem de Gracchis, sed à paucioribus memoriæ proditum scimus: Idem etiam de Julio Cæsare, quo de prolixius dicendum erit, ubi prius ipsum Consecrationis ritum exposuerimus. Illum nempe, qui in Imperatoribus Sacrandis à Romanis observatus legitur. Quanquam enim nos non fugiat, non pauca exstare vestigia in historiâ Romanâ, consecratorum Parentum à Liberis, liberorum à Parentibus, Conjugumq; à Conjugibus, quæ Kirchmanno non incongruè *privata* audiunt *ἁποθεώσεως*, in *de funeribus Rom. l. 4. c. 13.* ad easdem tamen haud præsentem divagabimur discursu, qui eam tantum, quæ apud dictum Autorem *publica ἁποθεώσεως* nomine venit, describendam suscepimus: hoc est, eam, quâ publicis solemnitatibus in Deorum numerum referebantur, publicâq; Religione colebantur, quibus Romani summos honores habitum ibant, sive ob miraculum Virtutis, ut *Lactantius l. 1. c. 15.* ait, sive in præsentis potentia adulationem, sive ob beneficia, quibus erant ad humanitatem quasi compositi. Imò arctius adhuc constringendus est animus, solorum enim *Imperatorum ἁποθεώσεως* sub considerationem vocamus: quæ enim de ceremoniis Romulæ consecrationis, tumq; Gracchorû apud Autores habentur, oppidò pauca sunt, ut adeò prolixiorum adnotationem haud mereantur.

VI. Ad solemniores itaq; nostræ Consecrationis ritûs stylium convertamus, quos ex Clarissimis & fide dignis Historicis ordine edisseremus. Initiò, cum Imperator Romanus inter mortales agere desisset, functum vitâ corpus, more hominum, sumptuosissimo sepeliebatur funere. More, inquam hominum: Romanis v. potissimum Combustionem in usu fuisse, tralatitium est, ejusq; rei luculenta passim exstant vestigia; uti etiam crematos esse Imperatores, non obscuriora nos docent testimonia, cineribus eorum in vasculum coniectis, compositisq; in sacris Principum monumentis. (Excipiendos tamen hîc Constantinopolitanos esse Imperatores, *Bulengerus l. 3. de Imperat. Rom. c. 6.* monet. Vide quæ idem de Triumphali ac Censorio Imperatorum funere *l. 1. c. 10. l. 3. c. 6.* proponit.) Porro cerea  
imago,



imago, quæ graphicè, defuncti, jamq; sepulti Imperatoris vultu adumbraret & exprimeret, supra eburneum lectum, stragulis purpureis atq; auro intextis ornatum, ad ægroti speciẽ, per septem dies in vestibulo palatii proposita, à Senatoribus atratis, matronisq; primæ classis candidatis cingebatur, ibatq; per septiduum illud velut ad ægrotantem Medicus, qui initiò malè Imperatorem, mox deterius habere, deniq; exspirasse nunciaret. In forum deinde vetus ab equestris, Senatoriiq; ordinis nobilissimis ac lectissimis juvenibus in lecto translata imago, ad magnificentum ædificii substructi pegma, puerorum è nobilissimis atq; Patritiis, puellarumq; illustrium, per gradus dispositorum, chorum, carmina funebria, hymnos, pœanasq; verendo ac lamentabili carmine emodulatos, accinentẽ habebat. Hinc v. habitã à Successore in laudem defuncti oratione, instructissimã in campu Martium pompã, inter Majorum imagines, devictarumq; urbium simulacra efferebatur. ubi rogos, sub multiplici tabernaculo, sibi invicẽ innitente, constructus, videre erat. In quorum (tabernaculorum) secundum elato lecto, ad equitantibus in orbem circa ædificium illud universis equestris ordinis, certã quãdam lege, curribusq; à purpuratis Rectoribus, imagines illustriũ virorum tenentib9, simili ordine circum actis, herbæ odoriferæ, aromata ac omnis generis suffimenta undiq; congesta, succendebantur, face ab imperii successore ad tabernaculum admotã, cæteris ignem undiq; subjicientibus, quo surgente, ex supremã pyræ parte aquilam solutam mittebant, quæ in cœlum defuncti animam deferre credebatur

VII. Ita breviter delineato Apotheoseos modo, statim significamus, Magnificentia consecrationis tractu temporis in major esse auctam. Haud igitur putandum, initio statim, in ipsã Julii Cæsaris Apotheosi, omnes hæc solemnitates observatas esse, uti nec illud cuiquã affirmaverim9, non esse quandoq; alias etiã ceremonias adjunctas, aut quicquã dictarũ immutatũ. quemadmodũ a. Augusto hi consecrationis ritũs suã debere originẽ videntur; ita à Senatu ut plurimum decerni solitã esse consecrationẽ, haud absq; causã suspicari licet, cùm apud *Juliu Capitolinũ* in *M. Antonino Philosopho* expressè talia habeantur: *Deinde cùm gratias ageret Senatui, quod fratrem consecrasset, & in Pertinace: Per*

B Senatum



*Senatum & Populū Pertinax in Deos relatus est. Quid? quod Alex. ab Alexandro l. 6. c. 4. Gen. Dier. disertè Senatus consulti mentionem faciat, quo cautum fuerit, ne quis ex Caesaribus, nisi ex decreto Patrum, inter Deos referretur. Adde, quæ Euseb. l. 2. Hist. Evang. habet: Cum lex vetus obtineret, neminem Romæ consecrari, nisi calculo & decreto Senatūs. Ut ut libenter largiamur, sæpius Autoritatem hanc Senatui Tyrannos extorsisse.*

VIII. Porrò pro iis Imperatoribus, qui Superstitibus filiis vel Successoribus moriebantur, consecrationem esse institutam. *Herodianus* nos docet, cujus verba antea in tertiâ §. adduximus. Illum v. præter rem erroris hîc arcessit *Job. Kirchmannus c. l.* dicens: se non videre, quomodo illa Herodiani ab ἀμαρτήρια & ἀνιμωδία, vel alterius παρρησία notâ possint vindicari. Nam, præterquam, quod quosdam Imperatores, quantumvis dignitate & regno suo exutos, divinis tamen post mortē honoribus affectos legamus, etiam ipsas uxores Imperatorum consecrari solitas, ait. Tangamus utrumq; sed leviter. Non quidem, quod litē Clariss. Viro de iis movere, aut fidem ejusdē dubiam hîc facere, sed eat nobis, sed quod ad præsentem spectare materiam, atq; adeò minimè prætereundum videatur. Exutos regno ac dignitate suâ imperatores consecratos esse, si nullum aliud, exemplum tamen *Diocletiani* fidem facit. De eo ita loco, quem jamjã laudavimus, *Alex. ab Alexandro: Mirum tamen de Diocletiano proditur, quod sponte deposito imperio, nonum post annū, primus sine imperio, populi jussu, Patribus autoribus, cælestes honores & Apotheosin meruit. Jam quæ de uxoribus Imperatorū adferuntur, uti ab ipso Kirchmāno exemplo Livix ex Dione & Suetonio, ac Faustinx, Antonini Philosophi Conjugis, ex Capitolino probantur; ita, si tanti essent, nos ulterius ea demonstrare possemus, sed clariora sunt, Quam solis radij esse olim, cum sudum est, solent. Verum enim verò malè hæc Herodiano opponi arbitramur. Respicit ille, verba sunt, Jo. Henr. Bæcleri notis in b. l. ad originē & exempla, dum ab initio Augustus Julium, Tiberius Augustum, Nero Claudiū, Titus Vespasianum. Domitianus Titum, Trajanus Nervam, Hadrianus Trajanum, Pius Hadrianum, Marcus Pium, Cōmodus Marcum consecrârunt, omnes filii aut destinati Successores. Hæc consuetudo fuit. Consecratio fœminarum extraordinaria est, ut taceam Herodia.*



rodianum, hinc non loqui, nisi de Imperatorum consecratione, quæ interim non excludit alias consecrationes, singularibus ex causis, varioq; consilio & arbitrio factas. Hactenus *Bæclerus*.

IX. Sed, quæ forte obscuriora, ob brevitatem narratiunculæ videri possent, ruminemus ac recoquamus quasi, Autoribus indicatis, quorum fide quæq; perscripsimus, quos si dissentientes alicubi offenderimus, ne hoc quidem sumus celaturi. Ac primò quidem nobis *Rosinus* occurrit, qui c. l. ex *Hub. Goltzio*, duorum lectorum facit mentionem. Ejus v. verba ita se habent: Exstructus a. erat in ipso Romano foro coloris lapidei tribunal ligneum, super quod ædificium quoddam fabrefactum erat, quod columnæ undiq; sustinebant, eratq; ebore variè ornatum, & auro: eo allatus fuerat *alius lectus consimilis*, cui stragulis purpureis, atq; auro intextis ornato erant circum capita belluarum terræ, marisque: in eoq; statuam ceream Principis consecrandi, ut dixi, ex Palatio allatam, ornatu triumphali collocabant, à quâ puer egregiam formam, ita, ut Imperator dormiret: pennis pavonis muscas abigebat. &c. Haussit, ut opinamur, hæc *Goltzius* è *Dione*, apud illum n. eadè fere verba leguntur in *Severo l. 74*. Quæ, cum non videamus, quomodo cum *Herodiani* historiâ unius tantum lecti mentionem facientis, conciliari queant, hinc quoq; ut alibi, rituum consecrationis immutationem quandoq; factam esse, notamus. Ea v. quæ ex *Herodiano* à nobis hæc de re dicta sunt, ita esse intelligenda monemus, ut quamplurimum ac sapius illa obtinuisse putemus. Ita etiã, quæ de sepulto, ante consecrationem, ac imaginis repræsentationem, Imperatore, tradita sunt, capiantur. Augusti n. cadaver, eo ipso die, quo idem consecratus, crematum esse, haud obscurè, idem *Dio l. 56*. innuit.

X. Imaginarium v. hoc funus (ita n. audit *Capitolino in Pertinace*) inter Majorum imagines, urbiumq; devictarum simulacra, ductum esse, innuimus antea. Quæ ne nullo Autore dicta putes, è veteri memoriâ testem laudabimus. *Dio l. 56. in Augusto* ait: Imago (Augusti) cerea, habitu triumphali conspiciebatur. Hanc à palatio ducebant consules designati, altera aurea ex curiâ, tertia in curru triumphali ducebatur. Post has, avorum ipsius, ac cognatorum, vitam functorum (exceptam Julii Cæsaris, qui inter Semideos erat relatus) aliorumq; Romanorum, qui unquam factis suis præ-



clari fuissent, imagines, initio à Romulo factò, ferebantur: inter  
 quas Pompeji quoq; Magni imago quædam, omnesq; nationes,  
 quas subegisset, cum suo ipsarum cultu effictæ cernebantur &c.  
 Neq; parcamus alium apponere locum ex eodem *Dione*, ita n.  
 ille in *Severo* l. 74. In funere Pertinacis, primò transferunt statuæ  
 omnium Veterum Romanorum illustrium, tum chori puerorū  
 & virorum, qui lugubre de Pertinace carmē cantabant: deinde  
 nationes omnes subiectæ imperio Romano in statuis æneis, sic  
 ornatis, ut est cujusq; gentis patria consuetudo. &c. Ex eodē a.  
 hoc Autore aliisq; patet, in foro, antequam in campum Martiū  
 pergerent, in Imperatoris defuncti laudem, funebrem orationē  
 à Successore esse recitatā. Ita n. Augustum à Tiberio, Pertinacem  
 à Severo laudatum esse, certum est. Conf. *Suetonius in Augusto*.

XI. Præterea Rogi in campo Martio exstructi mentionem fe-  
 cimus, ibiq; multiplicis tabernaculi, quo de iterum inter se dis-  
 sentientes videmus Historicos: Est, qui quadruplex fuisse Ta-  
 bernaculum velit; *Alexander v. ab Alexandro* trium tantum con-  
 tignationum meminit, *lib. 6. Gen. Dier. c. 4. Herodianus*, qui (si  
 quis alius veterum) fusè consecrationis ritūs descripsit, majorē  
 indigitat numerum l. 4. c. 2. cujus verba quædam cum præsen-  
 tem rem non parum illustrent, non possumus, quin adscribam:  
*Qua latissimè*, ita n. Angelus Politianus interpretatus est, *campus*  
*patet, suggestus quidam, specie quadrangulâ, lateribus æquis assurgit,*  
*nulla præterquam lignorum ingentium materiâ, compactus in taber-*  
*naculi formam. Id quidem interiùs totum est aridis fomitibus opple-*  
*tum, extra a. intextis auro stragulis atq; eboreis signis, variisq; pictu-*  
*ris exornatum. Infra (supra) v. alterum, minusculum quidem positū*  
*est, sed formâ & ornatu persimile, portis, januisq; patentibus. Ter-*  
*tiumq; item & quartum semper superiori (inferiori) contractius, ac*  
*deinceps alia, donec ad extremum, quod est omnium brevissimū, per-*  
*veniat. Hæc Herodianus, qui & in eo, quod suggestum hunc*  
*τετραγωνον* dicit, non omnes habet assentientes; *Xiphilinus n.*  
*lib. 74. in Severo*, Triangularem eum fuisse in funere Pertinacis,  
 ait, instar turris, ebore, auro & statuis ornatum, cujus fastigium,  
 currum, in auratum, quo Pertinax olim vehi solitus, sustinuerit.  
 Cogimur hîc ἐπεχειν, neq; n. satis, quid statuendum, videmus.  
 Nisi tortè jam plures, jam pauciores contignationes, jam qua-  
 drangula-



drangularem, jam triangularem formam pro lubitu adhibitam esse, putandum fit. Illius tamen rogi formam adhuc in antiquis numismatibus Sabinæ Augustæ, & matris & filiæ, M. Aurelii Antonini, L. Aur. Veri, P. Helvii Pertinacis, L. Septimii Severi, & Juliæ Piæ Augustæ consecratorum videri, ex *Goltzio Rosinus* memorat, *Antiqu. Rom. l. 3. c. 18.*

XII. Jam quæ de Aquila dicta sunt, paucis tangamus. Ea nos iterum ab *Herodiano* ac *Dione* habemus. Ille hoc in Severi, Hic in Augusti ac Pertinacis consecratione annotavit. Satisq; hi duo huic rei probandæ sunt. Præterea *Kirchmannus de F. R. l. 4. c. 13.* mentionem nummorum facit, in quorum unâ parte est effigies D. Imperatoris, in alterâ v. Aquila, cum his verbis CONSECRA- TIO. S. C. itemq; effigies Imperatorû ipsorum Aquilæ insiden- tium: quod ex veteri ritu ortum esse, quo Reges & Principes viri post mortem aquilæ insidere, ab eâq; vehi fingebantur, pin- gebanturq; ex *Artemidoro* collegit.

XIII. Sed & productum esse quendam, qui juratus dixerit, se vidisse ex rogo Cæsarem in cælum adscendentem, legimus. De *Romulo* ante ex *Livio* narravimus. Idem *Dio* in consecratio- ne *Augusti* l. 56. ac *Drusilla* l. 59. memorat. *Seneca*q; in ludo *Claudi* verba sunt: *Tamen si necesse fuerit auctorem producere, querite ab eo, qui Drusillam euntem in cælum vidit, idem Claudium vidisse se dicet, iter facientem non passibus æquis.* Pariter in aliis consecra- tionibus productos esse, qui Jurati dicerent, sibi visum Cæsarem in cælum adscendete, *Justinus* testis est, *Apol. 2.* *Cum Imperatores, inquit, mortuos dignos putetis, qui immortalitate à vobis donentur, producitis aliquem, qui juret, se vidisse ex rogo Cæsarem crematum in cælum euntem.*

XIV. Dispiciamus v. hîc, An Consecratis Imperatoribus nomina fuerint mutata? quod moris fuisse *Lactantius lib 1. c. 15. & 21.* scribit, ne sc. aliquis consecratos homines fuisse putaret. Cui quadantenus consentit *Alex. ab Alexandro l. 6. Gen. Dier. c. 4.* Ita quidem *Romulus Quirinus*, *Leda Nemesis*, *Circe Marica*, *Ino Matuta & Leucothea*, *Melicerta Palæmon & Por- tumnus*, *Jo, Isis, Castor & Pollux Dioscuri* vocati dicuntur. Quod causæ fuisse, cur *Harpocrates Sigalon* digito ad os admoto, in templis Ægyptio- rum apponeretur, ut nimirum *Isis & Osiris* homines fuisse hiterentur, qui- busdam creditur. Eâq; propter Heroum templa transituros, ne in Deos receptum Heroem, alio nomine, quam quod impositum ex Apotheosi fuisset,





fuiſſet, compellantes offenderent, tacitos & ſilentes, indiſtoq; ſibi ſilenti-  
tio, precatos eſſe, obſervavit *Nannius Miſc. l. 4.* & ex eo *Th. Dempſterus à*  
*Mureſk. Paralip. ad l. 3. c. 18. Antiqu. Rom. Roſini* Quanquam v. de aliorum  
populorum conſuetudine hæc ſi intelligantur, omninò à nobis probentur;  
attamen fruſtraneâ curâ hanc ob cauſam ſibi ſilentium in Imperatorum  
Romanorum fanis impoſuiſſe tranſituros, crediderimus. Mutatorum n.  
nominum in Cæſarum conſecratione, altum eſt apud Hiſtoricos ſilentium,  
nec unicum ejus rei, quod ſciamus, occurrit exemplum.

XV. Hoc igitur modo in Deos referri Imperatores ſuos, inq; cœlum ire,  
Romani ſibi perſuadebant olim. Et hæc fortè fuerunt illa Sacra, quibus  
animæ (ſi Diſ placet!) in Deos vertantur, qui *Animales* appellantur, quod  
de Animis ſiant, deq; quibus *Labeo* libros ſcripſerat, *Serbio* teſte. Hic v. de  
Imperatorum Romanorum Divinitate & cultu nobis dicendum erit.  
Enimverò an Deorum nomen & honor vivis etiam Imperatoribus ſit addi-  
ctus, an per conſecrationem demum collatus, haud unanimis Autorum  
habetur conſenſus. *Tacitus* Annalium ſuorum quintum decimum his con-  
cludit: Deum honor Principi non ante habetur, quàm agere inter homines  
deſierit. Sic *Herodianus* l. c. ait: Ex illo (poſt Apotheoſin) unâ cum cæteris  
numinibus Imperator colitur. Et *Alius*: Maledictum eſt ante Apotheoſin  
Deum Cæſarem nuncupare. At omninò Principi Deum honorem ante fata  
habitum, Deumq; eum eſſe vocatum, ab aliis in contrarium indigitatur.  
Quorum verba antequam apponamus, primùm de Divi ac Dei nominibus  
paucis agemus. Deos perpetuos eſſe; Divos v. ex hominibus factos, *Serbius*  
docet ad lib. 5. *Æneid. Virg.* Sed non perpetuum hoc diſcrimen eſt, Divosq;  
pro Diis, & viciffim Deos pro Divis invenies. Divos pro Diſ Poëta poſuit:  
*Tu das epulis accumbere Divum* l. 1. *Æneid.* Ita Deos pro Divis *Obidius* dixit  
l. 13. *Faſt.* Non hæc ille Deus, tantæq; propaginis Autor, Credidit officiis eſſe minora  
ſuis. Promiſſumq; ſibi ſolvit prænoſcere cœlum, Nec Deus ignotas hoſpes inire domus.  
De Julio a, Cæſare, Correctore Calendarii Pompiliani, loquitur. Et *Lactan-  
tius* l. 1. c. 15. Apud Romanos Deus Julius, quia hoc ſcelerato homini placuit An-  
tonio; Deus Quirinus, quia hoc Paſtoribus viſum eſt. Facetumq; eſt illud Ve-  
ſpaſiani, qui primâ morbi acceſſione, ut, inquit, puto: Deus ſio. *Sueton.* in  
*F. Fl. Veſpaſiano* c. 24. Græci ſanè uno vocabulo cum θεός dicunt, idem  
quod Romani duabus hiſce vocibus, Dii & Divi ſignificant. *Juſtinus* *Apol.* 2.  
Et Imperatorum mortuorum imagines hoc habitu ponitis, ( ἡγήθεός Δία  
θεαυδάτων ἐπὶ νόμῳ δέτε: ) & Deos in ſcriptis vocatis. Divorum  
titulum initio Imperatoribus conſecratis tributum, Divumq; Imperato-  
rem dictum, qui poſt mortem in Deorum numerum relatus non pauci pu-  
tant. Quod vel ex crudeli illo *Antonini Baſſiani* joco, de Fratre Getâ à ſe in-  
terfecto, clare arbitrantur: Sit Divus, modò non ſit inter vivos. Illud verò  
uti ſub moris initium obtinuiffe, ita hûc forte referenda dicunt, quæ ex  
*Tacito* ac *Herodiano* ante adduximus. Secutiſ temporibus, accumulatos  
honores à poſteritate, quæ vivos Imperatores etiam Divos appellârit. Plau-  
ſibilis videri poſſet ſententia, niſi conſtaret ex *Dionis* l. 43. & 44. Julio Cæ-  
fari



sari vivo statuas esse positas, cum inscriptione SEMIDEI, ac DEI INVICTI. Quod si ad Augustum descendendum, ne hinc quidem ullus dubitationi locus erit. Sic namq; Horatius canit, l. 3. Carm. od. 5. Caelo tonantem credidimus Jovem Regnare: praesens Divus habebitur Augustus, adjectis Britannis Imperio, gradibusq; Persis. Alia premimus. A Taciti itaq; atq; Herodiani sententia invitae etiam discedimus.

XVI. Antequam hinc abeamus, non possumus, quin de diversis Ethnicorum Deorum classibus vel tribus tantum verbis differamus. Deorum enim priscos diversa statuisset genera, haud ambiguum est. Alii proinde ipsis dicti sunt Majorum Gentium, alii Minorum. Illorum communiter duodecim numerant, sex mares, totidemq; foeminas, quos uno disticho Ennius complexus est: Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo. Qui etiam Consentes, Magni, Selecti, Coelites &c. appellati. Minorum gentium Dea stri erant itidem varii, Semidei, Semones, Indigetes, &c. vocati. Qui Indigetes fuerint, haud praetereundum est. In eorum enim classem Imperatores Romani aliiq; Heroes translata dicuntur. Audiamus ea de re Alex. ab Alexandro: Dii Indigetes, inquit ille l. 6. Gen. Dier. c. 4. fuere, qui ex hominibus in Deorum numerum asciti, propter eximias belli pacisq; artes, quod de genere humano bene meriti essent, post mortem numinibus aequati, celebrem posteris memoriam reliquerunt, ut Hercules & Aeneas, quem vocant Indigetem, Castor & Pollux, Aesculapius & Romulus &c. De Aenea Virgilius l. 12. Aeneidos: Indigetem Aeneas, scis ipsa, & scire fateris Deberi caelo, fatisq; ad sidera tolli. In cujus loci enarratione Servius: Indigetes, inquit, Dii duplici ratione dicuntur. Vel secundum Lucretium, quod nullius rei egeant, qui ait: Nihil indiga cura. Vel certe Indigetes dii sunt, ex hominibus facti, & dicti Indigetes, quasi, in Diis agentes. Quod quidem hoc posterius satis indicat illud Virgilii. Videmus itaq; quo ordine veniant Dii Imperatores. Vetuerunt enim Prisci illi, in numerum Deorum semel Selector, plures recipere, sed inferiori subsellio suos Semideos jusserunt esse contentos, Verba sunt Micraeii Syntagm. Hist. Eccl. l. 1. sect. 2. qu. 75.

XVII. Quo minus alicui mirum esse debet, Vivos etiam Imperatores esse adoratos, cum jam Dii, Divi, Indigetesq; dicerentur. C. Caesaris Caligulae, monstri non Principis, ea fuit impudentia, ut ipse sibi divinam asseruerit Majestatem, quo de Suetonio audiatur: Dato negotio, ait, ut simulacra numinum, religione & arte praecleara, inter quae Olympici Jovis, apportarentur e Graecia, quibus capite dempto suum imponeret, partem palatii ad forum usq; promovit, atq; aede Castoris & Pollucis in vestibulum transfigurata, consistens saepe inter fratres Deos, medium se adorandum adeuntibus exhibebat: & quidam eum Latialem Jovem consalutaverunt. Templum etiam Numini suo proprium, & Sacerdotes & excogitatisimas hostias instituit. In templo simulacrum stabat aureum iconicum. Amiciebaturq; quotidie veste, quali ipse uteretur. &c. Conf. Dio l. 59. De eodem Josephus testatur, quod effigiem suam templo Hierosolymitano inferri petierit, cum inscriptione: CAJO ILLUSTRIO JOVI: quod tamen quo minus fieret, impeditum est prudentia



1563.  
at  
the  
1422

tiâ Petronii, Præfidentis Syriæ, & intercessione Regis Agrippæ. l. 18. *Antiq.*  
c. 11. & l. 2. *Bell.* c. 9. De *Domitiano* iterum *Suetonius*: Pari arrogantia cum  
Procuratorum suorum nomine formalem dicitare epistolam, sic cœpit: *Dominus & Deus noster sic fieri jubet.* Unde institutum posthâc, ut ne scripto  
quidem ac sermone cujusquam appallaretur aliter. Et *Dio* l. 67. *Juvenius*  
Celsus, deinde *Domitianum* adorans (*θεοσκυνήσις ἀπὸ*) *Dominum &*  
*Deum* (quibus nominibus jam ab aliis quoq; appellabatur) crebrò nominans &c.  
De *Diocletiano* *Zonaras*: Non jam ut nuper salutari à Senatu sustinebat, sed  
(*θεοσκυνήσις*) adorari. *Idem* l. 3. Cum a. *Bellisarius* in conspectum Impe-  
ratoris (*Justiniani*) venisset, persuadet *Gelimeri*, ut humi procumbat, & ita  
Principem adoret: Is v. fecit, quod sibi faciendum, lacrymas fundens.  
Ipse a. *Bellisarius* ad terram procidit, ut ostenderet *Gelimeri*, non hoc ab  
ipso exigi, quod esset captivus, ἀλλ' ὅτι ἔτι νόμιμα θεοσκυνήσις τῶν  
Ῥωμαίων βασιλεῖς, sed quod ita moris est, adorari Romanos Imperatores.  
Hincq; factum arbitramur, quod Principes è cœlo misi; & in cœlum re-  
dire, Deorumq; vicem regere in terris, dicti fuerint. De *Domitiano* *Statius*  
l. 4. *Sylb.* *En hic est Deus, hunc jubet beatis Pro se Jupiter imperare terris.* Cui  
*Sacrilegæ Poëtarum solertix & hæc debentur: Nocte pluit totâ, redeunt spectacula manè: Divisum imperium cum Jove Caesar habet.* Ut a. *Deitatis* autori-  
tatem sibi conciliarent Imperatores, varias fraudes eos fuisse fraudos, præ-  
fertim v. cum inaugurarentur, Deorum Dearumvé palliis purpureis, togisvé  
palmatis se consecrari passos esse, quo in Deorum suorum κοινωνίᾳ, se as-  
sumptum iri probare præsumperint, fidè suâ, *Job. Nic. Vernerius* tradit,  
*Corpusc. Philol.* c. 1. S. 9.

XVIII. Superstitiosam hanc Ethnicorum ἀποθέωσιν, redolere illam  
Papalem Canonizationem, quâ Pontifex Rom. per suam, quam sibi sumit,  
potentiam, sanctos esse jubet, & in certum Divorum ordinem adscribit post  
fata, benè de se meritos, de cætero sæpè pessimos, *Plur. Rev. & Excell. Dn. D.*  
*Quenstedt*, de *Sepultura Veterum*, cap. 13. in fin. suggerit. At quod de *Agessilao*  
circumferri *Alex. ab Alexandro* loco sæpiùs laudato narrat, quod cum à *Tha-*  
*siis* Apotheosi honoratus, & inter Divos relatus fuisset vivens, illos inter-  
rogârit, ut si Deos faciendi potestatem haberent, prius seipso consecrarent,  
postea se Deificarent, id inter alia non immeritò Pontifici Canonizanti op-  
poneretur. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Reliquum esset, ut ad honores, qui  
Consecratis jam & in Deorum numerum adscriptis Imperatoribus exhibiti  
leguntur, descenderemus, ac postmodum Consecratorum Imperatorum  
Catalogum attexeremus; At cum pagellæ hæ, jam antea ad justum nu-  
merum excreverint, hæc alio tempore C. B. D.  
exhibebimus.

S. D. G.

WTA

M.C





2549



Faint, mirrored text from the reverse side of the manuscript page, including words like 'M. JO...', 'BRUNN...', 'DIS...', and 'A. P. C.'.

